



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus XX. De Crimine falsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

Tertiò, si laici fuerint excommunicantur sin Clerici ab officio & beneficio suspenduntur, imò & deponuntur. *cap. 7. h. t.* Quartò, usurarii manifesti non admittuntur ad communionem altaris nec ad oblationes, nec ad perceptionem Eucharistiæ, nec ad sepulturam Ecclesiasticam; quòd si quis tali scienter sepulturam concesserit, ipso facto excommunicatus erit.

TITULUS XX.

De Crimine falsi.

QUÆRES 1. Quid sit crimen falsi? Respond. Crimen falsi vel falsitas est *delosa occultatio vel immutatio veritatis ad decipiendum alterum scienter facta. novell. 73. in princip.* ad quod duo requiruntur, videl ut fiat dolo malo, id est, animo decipiendi proximum & corrumperendi veritatem. *l. 1. ff. b. t.* & ut fiat animo nocendi. Hinc qui falsum dicit, quod verum putabat, falsi crimine non tenetur, cum lingua non peccet, nisi prius conscientia rea fuerit.

QUÆRES. 2. Quot modis crimen falsi committatur? Respond. Falsum committitur quatuor modis, nimirum dicto, scripturâ, facto, & utu. *Dicto* falsum committit testis, falsum ferendo testimonium. *cap. 1. h. t.* *Scripturâ* falsum committit, qui falsa scribit instrumenta vel testamenta, vel verum delet, ut rei veritas non appareat, vel Chyrographum imitatur, siue instrumenta publica fuerint, siue privata tantum. *l. 1. 2. § 23. ff. b. t. facto* falsum

Kk

commit-

committit, qui signum adulterinum fecerit, scelerit, vel partum falsum supposuerit. *l. 19. ff. h. t.* venditor mensuras vini, frumenti, &c. publicè peccatas, corruerit. *l. hodie ff. eod.* Usu falsum committitur, si quis falsis litteris scienter utatur, falsum nomen aut cognomen dolosè usurpet. *l. fin. ff. h. t.* autem falsitas non præsumitur, sed probari debet quod si autem probata fuerit.

QUÆRES. 3. Quâ poenâ falsarii coercantur? Respond. Jure Civili si servus crimen commiserit, ultimo supplicio afficitur, si liber, falsariorum bonorum publicatione. deportatur. *l. 1. & fin. ff. de agitur autem ex crimine falsi vel civiliter ad id quod interest; vel ad duplum. l. hodie ff. h. t.* vel ad tractandum falsum. *l. 2. Cod. de fid. Instrum.* vel agitur criminaliter ad vindictam publicam. *l. penult. Cod. eod.* & hoc casu iudex pro qualitate personarum, falsitatisque, poenam imponit, vel eam quæ legibus statuta est moderatur, hinc corruptæ mentis auctor concrematur. *l. penult. Cod. de fals. mon.* qui falsis Constitutionibus utitur, per legem Constitutionem igne & aquâ ei interdicitur. *l. fin. ff. eod.* Jure autem Canonico falsarii variis pleciuntur poenis Clerici litteras Apostolicas falsificantes omnibus beneficiis perpetuò privantur; & præviâ degradatione curiæ seculari traduntur, ad subeundam poenam legibus statutam. Ij verò qui falsis litteris utuntur si Clerici fuerint, deponuntur, si laici excommunicationi subiacent non absolvendi, donec satisfecerint.